



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 8. Vtrum hæc sit falsa, Ex pane sit corpus Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Quibus modis res corporales possint conuertere in res corporales.

Nunc explicatur & probatur Propositio. Res enim corporales possunt conuertere in alias corporales, vel secundum totam suam substantiam; sicut panis in Corpus Christi. Vel secundum formas, sicut fit in conuersionibus naturalibus, quando una forma substantialis per actionem productiuam succedit alteri in eadem materia. Tunc tamen necesse est, ut materia rei, quæ conuertitur, sit capax formæ rei, in quam rem conuertitur, vel naturaliter, vel diuina virtute. Si enim nullo modo sit capax, non poterit fieri talis conuersio: unde lapis non posset sic conuertere in cælum; posset tamen cælestis forma poni loco formæ lapidis absque informatione: sed tunc hæc mutatio non esset conuersio lapidis in cælum, sed veluti transsubstantiatio formæ lapidis in formam cæli. Vel denique ratione materiæ, manente eadem formâ, sub quâ fiat conuersio: ut si lapis vnus ratione materiæ verteretur in alium, posita alia materia sub forma huius per actionem productiuam. Hic tamen materia illa debet esse capax illius formæ, sub qua succedit; alioquin non erit conuersio compositi in compositum; sed solum materiæ in materiam, veluti per transsubstantiationem.

Spiritus in corpus conuerti potest: vel contrariè.

Pari modo corpus in spiritum conuerti potest conuersione totali: ut si spiritus actione productiuâ ponatur sub accidentibus panis, sicut Corpus Christi sub illis ponitur. Similiter spiritus in corpus mutari potest: ut si corporalis substantia producatur sub accidentibus spirituum siue cum aliqua vnione ad ipsa accidentia, siue sine vnione: quod etsi difficile sit intellectu, tamen non videtur implicare. Denique similibus modis substantia in accidens, & accidens in substantiam verti potest.

ARTICVLVS V.

*Vtrum remaneant accidentia panis & vini post conuersionem?*

59

**R** Espondetur affirmatiuè, ut patet experientia. Vide D. Thomam, qui habet tres causas huius rei.

Accidentia sensibilia manent in Eucharistia.

Notandum est, Certum esse, manere omnia accidentia panis & vini, quæ vllò modo sensibus deprehendi possunt; id enim necessarium erat ad occultandum hoc mysterium: alioqui ratione naturali potuisset deprehendi; quod multum merito fidei detraheret.

Item Accidentia non sensibilia.

Vtrum autem remaneant alia quedam accidentia occulta, quæ nullo modo sensibus deprehendi possunt, non est ita certum. Valdè tamen probabile est remanere omnia, quæ à substantia panis & vini realiter sunt distincta; id enim magis consentaneum tum rationi, tum modo loquendi Patrum & Conciliorum. Vide Ferrariensem lib. 4. contra gentes cap. 65.

Modi substantiam efficietes non manent.

Modi tamen, qui immediatè substantiam efficiunt, non manent; ut sunt præsentia substantiæ, propinquitas ad locum, vnio cum speciebus, relationes &c.

ARTICVLVS VI.

*Vtrum facta consecratione remaneat in hoc Sacramento forma substantialis panis?*

**R** Espondetur negatiuè. Vnde D. Thomam. Nota tantum, quod secunda eius ratio firma non sit.

ARTICVLVS VII.

*Vtrum illa conuersio fiat in instanti?*

**R** Espondetur affirmatiuè. Probatur tribus rationibus. Primò, Quia substantia panis definit in instanti; & similiter Corpus Christi incipit ibi esse in instanti: ergo tota conuersio fit in instanti. Probatur Consequentiâ, Quia hæc conuersio constat desitione panis, & inceptioe Corporis Christi. Secundo, Quia in hac conuersione non est aliquid subiectum, quod successiuè præparetur. Tertio, Quia perficitur virtute infinita, quæ in instanti operatur. Vide D. Thomam.

60

ARTICVLVS VIII.

*Vtrum hac sit falsa, Ex pane fit Corpus Christi?*

**R** Espondetur, Hanc esse propriè veram. Vide D. Thomam. Quod ad modum loquendi attinet, Notandum Primò, Eas propositiones, quæ solum significant transitum vnus in alterum, seu successionem terminorum, esse propriè veras: ut, *Ex pane, & vino fit Corpus, & Sanguis Christi*. Propositio enim Ex latissime patet; & solum indicat terminum à quo, siue intrinsecum, siue extrinsecum. *Mundus fit ex nihilo. Dies ex nocte.*

61 Notabilia quædam circa modum loquendi in hoc Myserio.

Notandum Secundo, Eas propositiones, quæ denotant subiectum, vel causam materiale, esse improprias: ut, *De pane fit Corpus Christi*. De enim significat consubstantialitatem: vnde debet hic accipi pro Ex. Similiter, *Panis fit Caro Christi*, est impropria; quomodo interdum loquuntur Patres: vbi fit accipitur ut idem sit, quod *transit in Corpus Christi*.

Notandum Tertio, Propositiones, quæ significant aliquid commune vtrique termino permanere, sumuntur improprie; nempe non pro re indiuidua, sed vagè pro re contenta sub speciebus, vel pro hoc sensibili: ut, *Panis & vinum post consecrationem sunt verum Corpus & Sanguis Christi*, ut dicitur in Canone, *Ego Berengarius, de Consecratione dist. 2. vbi panis, & vinum non accipitur pro hæc indiuidua substantia, sed pro contento sub speciebus vagè, vel pro hoc sensibili.*

QVÆ.